

rum quemadmodum per nos hunc latisimum figurarum significatum assumere cuiusque placet, licebit: ita nobis quoque liberum erit strictiorem earundem notionem cum aliis supposuisse.

§. XLIX. significationes vero seu *ideas vocum accessorias* eas, quas fusiori haftenus tractatione declarauimus, *nouisse modo non sufficit*: sed in id erit nunc animus intendendus, vt suo loco *ad cogitationum ideas accessorias* vna cum principalibus accurate *exprimendas adhibeantur*. sic enim exactam cogitationum significationem eoque venustatem iuant atque tum haec loquendi genera hoc modo luminata sunt, quae orationem illustrant, imaginemque hanc cogitationum perficiunt: vnde exurgit perfectio orationis et pulchritudo (§. 37. 38.)

§. L. *haec tamen explicatae complexum idearum accessoriarum omnem non exhaustiunt*. aliae enim dantur praeterea formae, quae eodem principe sensu manente distinguere varietate possunt orationem eaque propter ad accidentalibus seu accessoria illius referri. quae rite adeo posita ad exhaustiendas cogitationes, viuidiorem minimum reddendam earum repraesentationem faciunt. quo quidem perfectio atque pulchritudo orationis promouetur (§. 37. 38. 19.)

§. LI. sic *conuenientia sonorum cum rebus significatis* se nobis in oratione adhuc offert, quae multum adiuuare potest repraesentationem cogitationum viuidius delineandam: sic formae dantur quoque, intelligentiae attentionique interuenientes; quo ipso pulchritudinem promouent, dum sensum perfectionis faciliorem reddunt (§. 19.). huc pertinent *perspicuitas, puritas, suspensio sensus, concinnitates* strictae sic dictae, *relationes vocum ad se inuicem*, inprimis *proportionatae, inopinatum, emphasis, ellipsis, variatio, periodica structura, euphonia, numerus*. quorum omnium rationes pulchritudinis et delectationis, ex ante positis fundamentis declarare in sequenti tractatione laborabimus.